



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1657

§. 29. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis donec
regnum Dei veniat, v. 18.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

Angelicam etiam subtilitatem transcendunt: Quid ergo ego peccator indignus terra & cinis de tam alto sacro decreto potero inuestigare & capere? Domine in simplicitate cordis, in bona firma spe, & in tua iussione ad te cum spe & reuerentia accedam semper, & vere credam, quia tu Agnus Dei es præsens in sacramento, Deus verus & homo verus.

§. 28. *Et accepto calice gratias egit & dixit: Accipite & diuidite inter vos. v. 17.*

Paulo ante de Mosaico paschate, & agno eius dixerat, se id non amplius celebraturum vti figurans, sed figuratum & verum in Ecclesia Dei, ipsa est enim regnum Dei, secundum illud, *regnum Dei intra vos est*, ergo confestim zelo sumpto, regnum Dei inchoaturus calicem vini accipiens veterem legem & testamentum terminaturus honorifice, ante regnum novum Dei, gratiarum, ubi vocant, haustum, seu terminalem proponit, & præiens conceptis verbis Deo patri omnipotenti, pro cunctis in veteri lege exhibitis donis gratias egit, & omnes singulosque, ex eodem poculo, gratiarum haustum mandauit libare. & sic cum honore Testamentum illud in feretro deposuit, non dampnandum, sed seruandum, tanquam id quod olim valuisset & magno in honore fuisset, & eatenus adhuc in honore maneret.

Deus meus omnium Magister, tu testamentum vetus cum honore deposuisti, non cum contumelia uti Lutherus & alij quidam sectarij. Habent igitur illud etiamnum tui Catholici in honore, & inter prædicandum de eo præferunt testimonia, & implent verbum tuum, qui prædixisti, quod in tua Ecclesia essent futuri Doctores, qui de suæ sapientiæ thesauro essent prolaturi Nova & Vetera. Hi sunt veri tui prædicatores, qui nostrum testamentum reiiciunt.

§. 29. *Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis donec regnum Dei veniat. v. 18.*

Iterum inculcat Magister discipulis iam iam imminere Exordium regni Dei, dum ait se non bibiturum de genimine vitis nisi primum manifestetur regnum Dei, & tamen iubet eos terminalem haustum facere super veteri Ecclesia tam cito ut non diuisim voluerit infundi vinum, sed de vno omnes participare infuso.

Verissime comedebat te, mi Domine, zelus Dei, cum hæc dicebas & hæc agebas, cum discipulis tuis. videris mihi fuisse ignis confians, quia discipulos tuos confias & in unum redigis sensum, ut pariter vetus Testamentum seu legem Mosaicam professorio haustu favoris testentur, ex uno calice & vno infuso bibentes, & novum Testamentum confestim ex-
pedent.

pectent. Laudo nunc Deus sapientiam tuam & bonitatem & disciplinam. Doce me quoque semper vnum sentire & loqui cum his qui in tua Ecclesia sunt Doctores constituti.

§. 30. *Et accepto pane. v. 19.*

Iam cum honore terminatam vidimus veterem legem & vetera sacrificia & cæremonias, & ecce confestim exortitur Regnum Dei, instituitur veneranda altaris Sacramentum Nouæ legis sacrificium, ordinantur sacerdotes, disponitur regnum Dei, vti per singula videbimus enucleantes. At tamen hoc loco pullat dubium, nihilne moræ inter veteris legis abrogationem & Nouæ exortum intercesserit? Ego Dominum à mensa surrexisse, præcinxisse se, & misisse aquam in peluim, & pedes discipulorum lauisse, & ea quæ Ioannis cap. 13. vsque ad versum 16. commemorantur, gesta fuisse contendo. Tum post humilitatis commendationem, & exemplum datum, à se, commendatum discipulis, statim apertum esse regnum Dei *accepto pane* & c. vti mihi commemorat Euangelista: & peracta communionem & Sancta colloquutione discessisse Iudam è mensa, ut refert Ioan. cap. citato à versu 16. ad 30. Illo digresso ad facinus statim secutum esse sermonem admirabilem Domini in cænaculo, à Ioanne cap. 13. a. v. 30. per cap. 14. 15. 16. ac 17. descriptum.

Domine considerans opera tua expauesco & lætor, expauesco ad sublimitatem & maiestatem, lætor videns humanitatem operum & virtus & verborum tuorum. Deus meus es tu. in te gloriabor. stabo & attendam quid facias cum accepto pane illo, in quo Regnum Dei aperire & reuelare cæpisti.

§. 31. *Gratias egit. v. 19.*

Accepto pane, in *Sanctas ac Venerabiles manus suas* (uti loquitur Canon Missæ Romanus à S. Petro Apost. ordinatus) Dominus Iesus primam Missam inchoaturus coram Apostolis suis, cæremonias certas elegit, sub quibus hanc primam missam suam celebraret, sacerdos ille in æternum secundum ordinem Melchisedech constitutus à Patre æterno. Sicuti autem fuerunt aliæ quædam cæremonie constitutæ à Deo per Moysen, quibus celebraretur primum pascha in Aegypto à Iudæis, & aliæ cæremonie, quibus celebrarentur Deuteropaschata seu memorialia primi paschatis, in secutis ab inde annis (uti ostendi §. 1. huius commentarij) sic etiam aliæ fuerunt quædam cæremonie obseruatæ à Christo Domino in sua prima Missa, & aliæ per spiritum S. iussæ obseruari in missis postea secutis post passionem Domini, idque meritissimo iure ita ordinatum fuit à sapientissimo Domi-

D

50